

Rudolphus II. Dei gratia electus Romanorum Imperator semper augustus ; ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniaeque Rex. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Marchio Moraviae, Comes Tyrolis ac Goritiae &c. memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod cum serenissimus Princeps Dominus *Carolus*, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carnioliae, Comes Tyrolis &c. *Patruus noster charissimus, ad defensionem Regni nostri Croatiae, quod ipsius Provinciis instar Clypei, seu Muri esse dignoscitur*, contra Turcas nominis Christiani hostes, suis & Provinciarum suarum sumptibus, certam munitionem seu fortalitium instar Civitatis, infra Castrum Dubovacz, *in dicto Regno Croatiae situm*, aedificaverit ; & eundem locum de suo nomine *Carlostadium* nominaverit, caeterisque libertatibus et Privilegiis ac immunitatibus, nostro ac suo nomine donaverit, militesque ac alios inhabitatores eiusdem de ipsarum immunitatum ratificatione, *per Nos, veluti Hungariae & partium ei subjectarum, legitimum Regem fienda, assecuraverit ; requisivit nos* debita cum instantia, ut eiusdem militibus, ac caeteris inhabitatoribus eiusdem oppidi Novi Carlostadii ; eorumque successoribus, certos articulos, super dictis libertatibus & immunitatibus ipsorum, a praefato serenissimo Patruo nostro, tam sua ; *veluti supremi in partibus illis nostris, Locumtenentis* ; quam nostra Regia autoritate additos & concessos, benigne acceptare ; & de Regiae nostrae potestatis plenitudine, gratiaque speciali, confirmare dignaremur. Qui quidem articuli, seu capita immunitatum ipsorum, sequuntur in hunc modum : I. Quod quilibet miles, sive Germanus, sive Hungarus, sive Croata fuerit, aut alterius Nationis, sive inter equites, sive pedites, qui juxta zonam seu dimensionem sine digressionem in fundo, seu area Viridi aedificaverit ; tale aedificium seu fundus, ipsi & haeredibus suis, proprius & haereditarius esse & manere debeat ; quem ipse vel haeredes sui, una cum superaedificata domo, vendere, legare, vel dono dare, & de illo juxta placitum suum, tanquam de re propria disponere, & ordinare possit, hac tamen conditione : quod semper nostri, seu Serenissimi patrum nostri milites ibidem in praesidio Stipendia merentes, prae aliis emere possint. Sin vero contingeret, quod per mortem & decessum unius vel alterius militum, una vel plures domus haereditariae, ad illius, vel illorum consanguineos devolverentur, qui in Stiria vel Carinthia, *illisque annexis Provinciis*, domos, seu aliquam haereditatem non haberent ; & vel *in illis consiniis dicti Regni nostri Croatiae* non militarent ; ex tunc illi haeredes sine ulla contradictione, teneantur & sint adstricti, cuilibet militi illius praesidii, qui illa opus haberet, dictam domum praevia justa & tolerabili honestorum virorum aestimatione, pro ipsius solutione vendere ; vel iuxta Praefecti illius loci dispositionem, domusque ipsius capacitatem & commoditatem, aliquod ibidem servientes milites, in illam recipere. Item postquam nos, de Regiae nostrae potestatis plenitudine, *ad instantiam praefati Serenissimi Patrum nostri*, dictam Civitatem novam Carlostadium, libertate & prerogativa speciali ornandam duximus, omnes qui proprias domos in ea habent, aut habuerint libertatibus communibus utentur, fruuntur : Et vicissim incolae & habitatores omnes, ea omnia quae ad conservandam Politiam, & retinendam disciplinam pertinebunt, quovis tempore firmiter observare debeant. Domos & plateas, ac quaecunque ad familiae sustentationem commoda erunt, mundo bonoque ordine servabunt. Ignem custodient ne damnum faciat, sicuti tales & id genus regulae in aliis civitatibus observari solent. *Item in Suburbibus : domum,*